

erexit, mille tarenos aureos annuatim percipiendos in perpetuum donat.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacra*, t. VII, p. 214, sed partim et sub forma quam ad solitum usum redigimus.)

Federicus rex Sicilie, etc., ac Romanorum imperator electus. Considerantes divinam misericordiam cujus magnitudinem comprehendere non sufficimus, licet incrementa in nobis ipsis sentiamus assidua. cum sacrosanctas ecclesias ubi jugiter ipse [Deus] laudatur et colitur, munificentie nostre beneficiis honoramus. Ea propter petitionem quam nobis dilectus in Christo pater Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis celsitudini nostre porrexit benigne admittentes, intuitu perpetue retributionis, pro nostra quoque salute et remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum inclyte recordationis, necnon consideratione grati servitii quod celsitudini nostre laudabiliter dictus cardinalis impendit, considerantes et laudabile votum dicti domini cardinalis qui his temporibus domum in canonicam regularem ad honorem divi Petri apostoli Amalphiæ erexit (4), donamus in perpetuum dicte ecclesie de demanio nostro sive in bajulatione sive in tenimento Tropee mille tarenos aureos annis singulis percipiendos.

Datum Rome, anno MCCXII, mense aprilis, XV indictionis, regni dicti domini gloriosissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, in Romanorum imperatorem electi, anno XV (a).

Fridericus rex Siciliae, in Romanorum imperatorem electus, de mandato Innocentii papae et ad supplicationem Stephani came-

[Romae,
aprilis.]

(a) Sic, rectius vero XIV.

(4) De ista fundatione a Petro cardinale, fratre Mansonis Capuani, anno 1214 facta, vide varia instrumenta, *Ibidem*, p. 212, 213.

rarii Cassinensis, Johanni Russo civi Gajetano militi suo Roccae Bantrae castellano mandat ut eam restituat monasterio Cassinensi (1).

(Memorat. ap. RICC. DE S. GERMANO, *Chronic. ad ann. 1211, recte 1212.*)

Laterani,
10 maii.

Innocentius papa capitulo Panormitano scribit se Parisium Panormitanum electum ab eorum ecclesiae regimine amovisse, mandatque ut personam idoneam infra triginta dies sibi praeficiant in pastorem.

(Edd. BALUZE, *Epist. Innoc. III*, t. II, p. 616.)

Innocentius, etc., capitulo Panormitano, etc. Cum nuper Parisius Panormitanus electus cum quibusdam ex fautoribus suis in nostra esset presentia constitutus, et Gentilis de Pretorio canonicus vester contra factum electionis et personam ipsius postularet audiri, nos eis dilectos filios Petrum tituli Sancti Marcelli presbyterum et Johannem Sancte Marie in via Lata diaconum cardinales deputavimus auditores. Coram quibus lite inter eos legitime contestata, dum vellemus in illa procedere, ipse potius abire presumpsit quam cause insistere terminande, mandatum nostrum transgrediens per quod ei districte precepimus ut ad nostram rediret presentiam pro expediendo negotio memorato (2). Consideratis igitur universis que circa factum electionis et personam ipsius consideranda cognovimus, ipsum ab ecclesie vestre regimine decrevimus amovendum.

(1) Quam Roccam mense maio anni sequentis, cum Adenulfus Cassinensis electus, castellano parere nolente regio mandato, vi obtinere frustra tentavisset, tandem matrimonio inito et certa pecuniae quantitate recuperavit ad opus ecclesiae suae. RICC. DE S. GERM., *Ibidem*.

(2) Parisium autem inter Friderici familiares in Alemannia morantem mox invenimus ex documento infra referendo, dat. Wormatiae, 3 dec. 1212, quo se adhuc *Panormitanus electus* intitulat.